

6 Legi, seti precepto satisfacit, qui faciens opus præceptum expresse intendit per illud non satisfacere; Sanchez lib. 1. moral. cap. 13. n. 9. & 12. Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 10. Suarez lib. 2. de leg. lib. de Horis cap. 26. & 3. part. tom. 3. disp. 88. sect. 4. Valentina tom. 3. disp. 6. quest. 10. in fine. Reiffenstuel loc. citat. numer. 46. Vazquez 1. 2. quest. 100. art. 9. Busemb. lib. 1. de legibus tract. 2. cap. 3. dub. 3. numer. 693. La Croix ibid. Layman theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 7. & alii plures contra Navar. de orat. cap. 16. num. 73. Azotius tom. 1. lib. 7. cap. 2. quest. 6. & alios. Et ratio est, quia leges & præcepta obligant solum ad substantiam operis injuncti, adeoque illa posita satisfacit legi etiam contra expressam intentionem operantis, cum non sit amplius in potestate operantis, ut non satisfaciat. Nec valet obicere, quod actus non operentur ultra intentionem agentis, leg. Non omnis 19. ff. de rebus creditis: (Vid. supra art. 2. num. 25.) quia id debet intelligi quando est in potestate operantis, v. g. satisfacere, vel non. Nec item valet dicere, quod sicuti voto obligatus ad faciendam elemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit; ita à pari in casu legis adimplere cum animo illam non adimplendi, non satisfacit: Non valet, inquam, quia in tantum obligatus voto ad faciendam elemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit, quia talis, & similis obligatio provenit ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, sic in debito libere permanere potest; obligatio autem patendi legi provenit ex voluntate Legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem, & voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti, qua posita, non est in potestate operantis, nolle per ipsam satisfacere, quia cum Legislator hoc solum præceperit, ut opus humano modo impleatur; eo opere præstito, exiungitur statim obligatio independenter ab intentione satisfaciendi operantis: Busemb. loc. cit. num. 193. Cornipch num. 309. Layman loc. cit. n. 7. Lessius loc. cit. & alii. Vide verb. Missa art. 17. n. 11. & 12.

8 Hinc inferitur, quod licet quis die festo missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto ecclesie, sed aliam missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum aliam audire. Item qui recitavit divinum officium, vel partem ejus, non ea devotione, & attentione, qua voluisset, & ideo proposuit repetere, ad satisfaciendum præcepto, non tenetur repetere, quia per illam primam recitationem satisfecit præcepto. Item, qui die festo missam audivit, divinum officium recitavit, Penitentiam Sacramentalem peregit, & alia hujusmodi cum expresso animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfecisse, quia vere satisfecit. Lugo de Eucharistia disp. 22. sect. 2. n. 12. Salas D. 9. num. 33. Busemb. l. c. Sanchez & alii supra citati.

11 Leges, & præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante; Communis. Et ratio est, quia præcipitur solum substantia actus inclusi in præcepto, non autem modus præcepti: æque enim adimplet legem, qui eam observat in peccato, ac qui eam observat in gratia: quis enim diceret, quod non satisfaciat præcepto audiendi missam, præcepto jejunandi, præcepto festandi, præcepto honorandi parentes, & hujusmodi, qui talia, & similia præcepta exequatur existens in peccato? Unde falsissimum est, charitatem esse necessariam ad implenda omnia præcepta, ut perperam docuerunt Bajus, Jansenius, & alii, & ideo à S. Pio V. die 1. Octobris 1567. constituit. incipien. Ex omnibus: à Gregorio XIII. die 29. Januarii 1579. constituit. incipien. Provisionis Nostræ: à & ab Urbano VIII. die 6. Martii 1641. constituit. incipien. In eminenti: inter 79. propositiones Michaelis Baji, & aliorum, merito damnata fuit sequens propositio in ordine 16. Non est vera legis obedientia, qua fit sine charitate.

12 Quinimo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece ma-

lam, & vitiatam; Sanchez lib. 1. moral. cap. 14. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 6. de Lugo disp. 22. sect. 2. num. 23. Reiffenstuel loc. cit. num. 48. & alii communiter apud Mastrium theol. moral. disput. 2. quest. 5. num. 169. Et ratio est, quia lex præcipit tantum substantiam actionis, ex objecto suo honestæ; non autem finem, vel circumstantias, adeoque potest quis ponendo substantiam legis, seu præcepti, satisfacere ipsi legi, seu præcepto etiam per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam, & vitiatam, quamvis peccet pro ratione pravi finis, aut circumstantiæ malæ. Hinc inferitur, quod si quis jejundet, vel intersit missæ ob vanam gloriam, vel etiam, ut feretur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum, etiam per tales, & similes actus ex fine, seu circumstantia peccaminosos, quia implet substantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur. Item Sacerdos, qui missam celebrat in statu peccati mortalis, satisfacit & suis obligationi, & præcepto audiendi missam die festo, non obstante quod pravissime peccet ponendo enim actum præceptum, jam adimplet quod est injunctum, & consequenter satisfacit etiam præcepto. Item adimpletur votum, Juramentum Deo factum, Penitentia Sacramentalis, & hujusmodi, quamvis actus per quem adimpletur, sit malus, & peccetur contra aliud præceptum, cui actus ille malus opponitur, Omnes citati D. Lorez, & alii passim.

Nec valet obicere, quod adimplens legem, seu præceptum per actum peccaminosum, non adimplet modum, ac finem præcepti, qui est honorare Deum per actum præceptum; Non valet, inquam, quia modus, & finis non cadit sub præcepto, nisi sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, & expresse requisitus: Sic Communis Doctorum sententia. Si autem modus, & finis sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, & expresse requisitus, nequit utique adimpleri præceptum, non adimpleto modo, ac fine: Sic sacrilege confitens non satisfacit præcepto annualis Confessionis, & sacrilege communicans non satisfacit præcepto Paschalis Communionis, quia ad Sacramentum Penitentia necessario requiritur dolor de peccatis commissis, propositum de cetero non peccandi, & Confessio omnium peccatorum; Finis enim talis præcepti est, ut peccatores per tale Sacramentum remittantur in Dei gratiam, sicuti finis, & modus recipiendi Sacram Communionem est, ut recipiatur in statu gratiæ, & gratia per ipsam in communicante augetur: Unde merito ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. inter alias fuit damnata sequens propositio 14. in ordine: Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto ecclesie, & ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. merito inter alias fuit damnata sequens propositio 55. in ordine: Præcepto Communionis satisfacit per sacrilegam Corporis Domini manducationem. Sic etiam si quis dormiens die festo assistat missæ, non satisfacit præcepto ecclesie, quia de intrinseca ratione præcepti audiendi missam die festo est, ut quis ei assistat modo humano, seu cum advertentia rationis, quod à dormiente non fit, adeoque &c. Et sic dicendum est de similibus.

Leges, seu præcepta quamvis sine charitate, seu gratia sanctificante possint adimpleri satisfactorie, id est, ipsis satisfieri; non tamen sine charitate, & gratia sanctificante possunt adimpleri meritorie, id est, per talem impletionem præmium mereri; Communis, argum. Epist. 1. ad Corinth. cap. 13. num. 1. ibi: "Si linguæ hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, & infra num. 3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest."

Potest eodem tempore satisfieri pluribus legibus, & 20 præceptis per diversos actus, quando unus actus non impedit alium debite exercendum: Communis. Et ratio

est, quia qui facit id, quod lege, vel præcepto præscribitur, legi vel præcepto satisfacit, sed potest quis eodem tempore facere quod præscribitur diversæ leges, seu diversæ præcepta; ergo potest quis eodem tempore satisfacere pluribus legibus vel præceptis, quoties unus non impediatur alium debite exercendum. Hic inferitur, quod qui die festo audiendo missam recitat horas canonicas, vel alias preces obligatorias, satisfacit eodem tempore præcepto audiendi missam, & præcepto recitandi horas canonicas, seu obligationi recitandi alias preces aliunde debitas, quia recitatio horarum, seu aliorum precum non impedit attentionem recitandi ad missam; Communis. Item satisfacit præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinat, elicit actus doloris, vel aliis piis actionibus se preparat ad Confessionem, quia istæ actiones non impediunt attentionem requisitam ad missam: Communis. Autem ille, qui per notabilem partem missæ confiteretur sua peccata, satisfacit præcepto audiendi missam, Vid. verb. Missa art. 17. n. 27. ubi alia ad rem per totum articulum.

Unico, & eodem actu potest satisfieri pluribus legibus, seu præceptis, extra tamen materiam Justitiæ, & nisi aliud colligatur ex mente Legislatoris, seu præcipientis; Sanchez lib. 1. in decalogum cap. 14. num. 5. Reiffenst. loc. cit. num. 51. Herincx disp. 3. de legibus num. 85. Salas, Bonacina, & alii apud Mastrium theol. moral. disp. 2. quest. 5. num. 170. Et ratio est, quia obligatio legis, seu præcepti pendet à mente Legislatoris, seu præcipientis, ipsiusque voluntatem non excedit; ergo si legislator, seu præcipiens unico actu intendit, & permittit pluribus principiis satisfieri legibus, seu præceptis, equitur unico actu pluribus legibus, seu præceptis satisfieri posse. Hinc sequitur, quod qui obligatur ad recitandas horas canonicas ratione Ordinis Sacri, simulque beneficii ecclesiastici, satisfacit unica recitatione. Item, qui tenetur jejunare ex voto die veneris, si tali die occurrant Quatuor anni Tempora, & Vigilia alicujus Sancti, unico jejunio satisfacit tribus obligationibus, scilicet voto, & duobus ecclesie præceptis. Item quando festum alicujus Sancti incidit in Dominicam, non tenetur quis audire duas missas, sed unica audita missa satisfacit duplici præcepto, scilicet & præcepto pro Dominica, & præcepto pro festo talis Sancti. Et sic de similibus.

Notatur autem fuit dictum in conclusione sub numero 19. extra tamen materiam Justitiæ, quia, si sint plures obligationes Justitiæ, iis satisfieri non potest unico actu; Si enim Jure debeat Paulo centum aureos ex contractu, & alios centum ex damnificatione iniusta, non satisfacit utrique obligationi, semel dando Paulo centum, sed tenetur dare ducentos, quia in materia Justitiæ commutativæ, seu in debitis Justitiæ, attenditur æqualitas rei ad rem: non potest autem unum centum esse æquale debitis plurium centum: Secus autem est in materia legali, seu in debitis legalibus, quia ibi attenditur mens, & intentio Legislatoris, quæ sæpius ferri potest in unum idemque opus; Ita Doctores omnes citati.

Notatur etiam fuit dictum in eadem conclusione, nisi aliud colligatur ex mente Legislatoris, seu præcipientis, quia si circumstantiæ, seu verba legis denotent Legislatorem velle exigere actum non debitum, tenebitur subditus illum actum non debitum præstare, & non poterit satisfacere actu aliis debito: Hinc si Confessarius injungat penitentii rosarium pro penitentia, & talis penitens sit voto obstructus ad rosarium recitandum quotidie, penitens non satisfacit præcepto Confessarii per recitationem Rosarii debitam ex voto: quia Confessarius, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, obligare intendit penitentem ad rem non debitam. Item si Confessarius pro penitentia injungat auditionem missæ, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare penitentem ad aliam auditionem missæ diversam ab ea, quam die festo audire tenetur. Secus autem esset, si Confessarius injungeret pro penitentia auditionem quotidianam missæ pro uno mense, pro uno anno, & hujusmodi, Ferrer. Bibliothec. Tom. V.

quia ex benigna interpretatione censetur contentus esse missa debita ex præcepto diebus festis; neque enim censendus est velle obligare ad audiendas duas missas diebus festis, nisi id exprimat; Cum enim sit grave onus, si id voluisset, expressisset; arg. cap. Inter corporalia 2. de translation. Episcop. §. Sed neque istud, cap. Quia circa 22. de privilegiis, & cap. Ad audientiam 12. de Decimis; Sic Castropalaus disp. 1. puncti. 19. num. 1. & seq. Kazemberger Supplement. theol. decalog. cap. 1. sect. 1. quest. 4. numer. 46. Reiffenst. loc. cit. num. 53. & alii supra citati. (Lit. C. pag. 161. art. num. 49.)

Nullatenus tamen potest unica numerice recitatione divini officii satisfieri duplici præcepto, v. gr. pro die præsentis, & pro die crastino; quando hora licita anticipandi Marutinum, & Laudes, recitatur hodie officium diei sequentis; Adstricti enim ad horas canonicas tenentur legere officia singulis diebus affixa; Unde Alexandri VII. die 18. Martii 1666. merito damnavit inter alias sequentem propositionem 35. in ordine: Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis, & crastino.

ARTICULUS V.
Lex quoad ejus cessationem.

SUMMARIUM.

Quando vel quot modis cesset obligatio legis: inferior abrogare nequit legem Superioris: nova lex an priorem tollat: quid ut effectum sortitur: qua causa ut abrogentur, ad num. 16.

Per interpretationem & Epichejam an cesset: interpretatio, & quotuplex: à quo faciendæ beneficia ecclesiastica & rescripta quomodo interpretanda, ad n. 40.

Epicheja ab interpretatione legis in quo differat, & quid sit: quando illi sit locus: per dispensationem, & per privilegium utrum cesset: privilegium quid sit: qua forma interpretandum: potest per consuetudinem contrariam cessare: variat quoad consuetudinem, ad num. 50.

Additiones ex aliena manu inseruntur, ad num. 72.

Lex humana cessat, vel per cessationem ejus causæ finalis, vel per ejus abrogationem, vel per interpretationem, seu Epichejam, vel per dispensationem, vel per privilegium, vel per consuetudinem contrariam: Communis. Lex igitur cessat per cessationem ejus causæ finalis, scilicet lex cessat, omnique ejus obligatio, quando cessat universum totalis ejus causa finalis; Suarez lib. 6. de legibus cap. 9. numer. 5. Silvester verb. Lex quest. 9. §. 8. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 21. num. 3. & communis aliorum arg. leg. Adigere §. 2. ff. de Jurepatr. ubi aperte habetur, quod cessante ratione, & causa legis, vel obligatione, cessat lex, seu obligatio ipsa; & cap. Cum cessante 60. de Appellation. ibi: Cum cessante causa, cessat effectus. (Lit. E. pag. 36. in princip. col. 1.) Et ratio est, quia sicuti lex ab initio non subsistit, si sine ratione lata sit, cum ratio legis sit anima legis, leg. Cum ratio f. de bonis damnatorum; ita etiam postea desinit desinente ratione ejus, quandoquidem tunc ejus observatio inutilis, atque supervacanea esse incipit. Unde hæc ratio Apostolus ad Hebræos 7. ait: Reprobatio fit præcedentis mandati (id est legis Mosaicæ) propter infirmitatem ejus, & inutilitatem. Sic in primitiva Ecclesia Apostoli Act. 15. Legem constituerunt, ut omnes abstinere ab immolatis sanguine, & suffocatis, eo solo fine ut Judæi ab iis horrentes tanto facilius in fide, & religione cum Gentilibus jungerentur. Quo sine successu temporis cessante, cessavit quoque illa lex talis abstinentiæ, ut docet S. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. Nicolaus primus in responsione ad Bulgaros cap. 90. S. Thom. 1. 2. quest. 130. art. 4. ad 3. ubi addit, Procedente autem tempore, cessante causa, cessavit effectus, scilicet obligatio illius

Nn 2

legis Apostolicæ; Et sic docent Doctores communiter. Nota tamen dictum fuit, quando cessat totalis ejus causa finalis. Nam si cessat tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex, cum tunc perseveret adhuc alter finis, seu aliud legis motivum sufficiens ad conservandam ejus obligationem, ut recte observat Abbas in cap. Cum cessante 6o. de Appellat. numer. 2. Layman loc. cit. num. 3. La Croix lib. 1. numer. 866. Henricus disp. 3. quest. 16. num. 202. Paulus Mezerger disp. 36. numer. 5. Matrius cit. quest. 6. numer. 209. & alii plures apud ipsos. Et ratio est, quia quando sunt plures fines, licet simul sumpti faciant unicum finem totalem, tamen deficientem uno, si alius maneat, manet quoque adhuc legis obligatio; adeoque si cesset tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex.

Nota tamen etiam dictum fuit, quando cessat causa universim: quia cessante causa, seu fine legis in particulari homine, non ideo cessat obligatio ipsius legis. Et ratio est, quia finis legis humane non potest cessare quoad aliquem in particulari, si adhuc maneat quoad communitatem; finis enim legis in presumptione periculi fundata, non est evitabile quodcumque periculum in particulari, sed periculum in communi, & generaliter, adeoque quamvis cesset periculum in aliquo particulari, cum non cesset periculum in communi, & generaliter, non cessat obligatio legis: Si enim v. gr. Princeps lege lata interdicit civibus usum armorum ad vitandas rixas, & homicidia, fas non erit alicui particulari arma prohibita gestare, quamvis in ipso ob se necentur, vel pacificam naturam, & morum probitatem, vel simplicitatem cesset rixarum, & homicidiorum periculum, quia interest boni publici, ut leges communes ab omnibus communiter observentur, quoad non occurrat aliquid impedimentum contrarium, quod per epichejam excuset; aliter orientur multa incommoda in damnum republicæ, si tali, & similibus casibus tribueretur licentia agendi contra legem, nam quisque facile sibi posset blandiri causam, & finem legis hic & nunc in se cessare: Et sic tenent D. Thom. 2. 2. quest. 154. art. 2. tom. 3. Suarez lib. 6. de Legibus cap. 9. num. 6. Layman loc. cit. num. 3. Matrius loc. cit. num. 210. Henricus loc. cit. num. 203. La Croix loc. cit. num. 314. Paulus Mezerger loc. cit. num. 6. Kazemberger loc. cit. num. 314. ubi testatur de communi, Amieus, Aversa, Cardensis, Sotus, Salas, Reding, alique plurimi contra Granad. Henriquez, Dianam, & alios.

Lex in presumptione fundata cessat obligare, si de contraria varietate constet, quia ex communiter recepto axiomate presumptio credit veritati; arg. cap. Super hoc 5. de renuntiation. leg. Continuus 137. ff. de verbor. signific. leg. ultim. ff. Quod metus causa; leg. Imperatores ff. de probationib. ibi: Respondi, veritati locum superfore, ex quibus aperte deducitur, quod mens Legislatorum nunquam fuit per leges in presumptione fundatas aliquid disponere contra veritatem; adeoque veritate cognita, sive per propriam Confessionem, sive per alias legitimas probationes, cessant tales leges obligare etiam in foro externo, & multo magis cessant obligare in foro interno, seu conscientie; ubi talis veritas est manifesta: quia ut Apostolus 21. ad Corinth. 1. dicit: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ. Tum quia talibus presumptionibus parte rei falsa infestatis, non deficit sumum verum Jus, sed solum probatio, arg. leg. Duo sunt ff. de Testamento Tutel. adeoque cum leges debeant esse justæ, cap. Erit autem Lex 2. dist. 4. cum similibus, nullo modo potest dici mentem legum in presumptione fundatarum fuisse Jus suum alicui adimere, etiam cognita veritate, cum Jus suum unicuique tribuere pertineat ad tria Jura præcepta §. Juris, Institut. de Juriis. Et Jur. his verbis expressa: Juris præcepta hæc sunt, honeste vivere, alterum non ledere, jus suum cuique tribuere. Et sic tenent Abbas in cap. Quia plerique num. 18. de Immunitat. ecclesiast. Covarrub. in cap. Cum esses num. 9. de testament. Navarr. in cap. Ita quorundam, de Judois, notab. 10. num. 29.

Layman libr. 1. tract. 4. capitul. 21. numer. 4. & alii passim.

Lex cessat per ejus abrogationem, cum à Legislatore, seu legitimo Superiore in totum tollitur: Communis. Hic tamen advertendum venit, quod datur differentia inter abrogationem, derogationem, irritationem legis. Abrogatio enim legis fit, cum lex in totum tollitur: Derogatio vero cum lex tollitur solum ex parte; textu expresso in leg. Derogatur 102. de verb. signific. ibi: Derogatur legi, cum pars detrahatur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur. Irritatio autem legis fit cum lex ab inferiore instituta auctoritate Superioris irritatur, seu rescinditur, & nullius valoris efficitur, ut si lex ab Episcopo lata à Summo Pontifice annulletur, irrita, & inanis, ac nullius roboris declaratur; Communis.

Legem abrogare potest Legislator, qui eam tulit; Communis, arg. cap. Omnis res de Regulis Juris, ubi expresse dicitur, quod Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. (Item alias varias leges, hujus principii confirmatorias, quæ part. 5. & 6. de contrahibus, ultimique voluntatibus agente reperuntur; expresse hoc asserit lex 40. tit. 13. part. 5.) Item legem abrogare potest Legislatoris successor in officio, vel in Jurisdictione Superior, quia voluntas Successoris æquivalere in Jurisdictione voluntati Antecessoris; & voluntas Superioris etiam prævalet, adeoque quod in Jurisdictione licuit Antecessori, etiam licet Successori, vel utriusque Superiori; Communis, arg. capit. Innovat 20. de election. §. Quamvis, capit. Exiit 3. de verb. signific. in 6. §. Ceterum Sanctæ memoriæ... cum similibus. Inferior tamen nequit abrogare legem Superioris, cum voluntas inferioris nullum habeat Jus, seu nullam potestatem supra voluntatem Superioris; cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de major. & obed. Clement. Ne Romani, de election. (Vid. verb. Capitulum, art. 3. numer. 9.)

Nova lex, seu constitutio Principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiam si de ipsa non faciat mentionem; Communis, textu expresso in cap. Licet 1. de Constitut. in 6. ibi: Licet Romanus Pontifex (qui Jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriori, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscitur &c. & concordat Jus Civile; leg. Sed & posteriores ff. de legibus, ibi: Sed & posteriores leges ad priores pertinent nisi contrarie sint. Hinc pariter in testamentis statuit ultimo, etiam in ipso non fiat mentio de priori: leg. Si mihi, & tibi ff. de Legatis 1. & cap. Ultima voluntas 4. caus. 13. quest. 2. ubi dicitur, quod ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet. (verb. Testamentum.)

Lex nova, seu constitutio Principis generaliter lata, non tollit, nec revocat rationabiles consuetudines, & particularia statuta locorum, nisi id exprimat: Communis, textu expresso in cit. cap. Licet 1. de Constitut. in 6. ubi post verba num. antecedenti allegata, statim subjungitur: Quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta (cum sint facti, & in facto consistant) potest Romanus Pontifex probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem à se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare. Expressio autem talis abrogationis, seu derogationis sufficit, quod fiat per clausulas generales in lege appositas, v. gr. "Nulla obstante consuetudine contraria, vel non obstantibus quibuscumque statutis particularium locorum, seu non obstantibus quibuscumque statutis, vel consuetudinibus veterum immemorabilibus;" & hujusmodi; Gallus lib. 1. pract. observ. 18. num. 1. Layman cap. 1. num. 12. de Cons. in 6. Reiffenstuel lib. 1. Decretal. tit. 2. num. 499. & alii passim.

Leges non sunt abrogandæ, seu immutandæ, nisi ex gravi, & justa causa; leg. 3. ff. de consens. Princ. ibi: In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum

visum est, quia (ut expresse dicit Benedictus XI. Summus Pontifex in Extravag. Inter cunctas 1. de privil. §. Sane) Plerumque parum novitates discordant, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem receditur: nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia causa subest; Ita communis Doctorem.

Justa autem, & gravi interveniente causa pro varietate temporum, & circumstantiarum valide, & licite possunt mutari leges, eas, vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando; Communis, textu expresso in cap. Non debet 8. de consanguin. & affinit. ibi: Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque mutantur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. Item in cap. Alma Mater 24. de sentent. excomm. in 6. ibi: "Alma Mater Ecclesiæ plerumque nonnulla rationabiler ordinat, & consulti, quæ suadente subjectorum utilitate postmodum consulti, & rationabilius revocat, in meliusque commutat."

Sine justa vero, & gravi causa possunt quidem abrogari leges valide, at non licite; Communis. Et quidem quod possint abrogari valide, stat clarum, quia cum obligatio legum dependeat à voluntate Legislatorum in fieri, & conservari tamquam causa adequata, sublata voluntate peribit obligatio legum, & consequenter earum abrogatio erit valida; argum. cap. Omnis res 1. de Regul. Juris, ibi: Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Quod autem nequeant abrogari licite, clare patet; quia Legislator, seu ejus Successor, vel Superior, peccat agendo contra exigentiam boni publici; abrogare autem leges sine justa, & gravi causa, est contra exigentiam boni publici; arg. cit. Juribus sub num. 14. adeoque, &c.

Lex cessare potest per veram interpretationem, & epichejam; Communis. Interpretatio autem nihil aliud est, quam congrua per aliquid clarior explicatio verborum legis ordinata ad concipiendum verum legis sensum à legislatore intentum; Est in re Communis. Interpretatio juxta Glossam in leg. 37. ff. de legibus est triplex, scilicet Authentica, Usualis, & Doctrinalis. Interpretatio Authentica, seu necessaria, cui nempe necessario est acquiescendum, est illa, quæ fit à Legislatore, seu ejus Successore per aliam legem prioris declarativam, & obtinet eandem auctoritatem, ac ipsa lex, quam declarat; & de hac interpretatione intelligendum est id, quod habetur leg. 11. Cod. de legibus, juncto Summario ibid. Ejus est legem interpretari, ejus est condere, & cap. Inter alia 31. de sentent. excomm. ibi: Ut unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedat. Interpretatio Usualis est, quæ per usum, & consuetudinem introducit, nam consuetudo, ut dicitur cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, est optima legem interpretet, sed de hac infra. Interpretatio Doctrinalis, seu scholastica à Magistris dari potest, & solet; leg. unic. Cod. de Professorib. Urbis Constantin. leg. 22. & hæc per se loquendo non inducit obligationem, sed dumtaxat probabilitatem; Unde huic interpretationi non est necessario inhaerendum, nisi fiat à communi Doctorem consensu, ac alia meliora, & solidiora Juris fundamenta non suppetant.

Interpretatio doctrinalis seu magisterialis subdividitur in declarativam, extensivam, & restrictivam. Interpretatio declaratoria est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expositio. Interpretatio extensiva est ea, per quam fit ampliatio legis ad non expressa; & hæc vel est mere extensiva, per quam dispositio legis ob paritatem, vel similitudinem rationis, extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente Legislatoris comprehenditur; vel est etiam comprehensiva, per quam lex extenditur ad personam, vel casum, verbis quidem non expressum, mente tamen Legislatoris comprehenditur ob adequatam rationis identitatem. Interpretatio restrictiva est ea, per quam verba legis, aut statuta suadente sic æquitate in sua gene-

rall significatione coarctantur, & restringuntur. 21

Authentica legis interpretatio fieri potest à legislatore, ejusque Successore, vel utriusque in Jurisdictione Superiore; Communis, arg. leg. 11. Cod. de legibus, ubi Summarium inquit: Ejus est legem interpretari, ejus est condere, capit. Inter alia 31. de sentent. excomm. ibi: Ut unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedat. Non potest tamen Authentica legis interpretatio fieri ab inferiore, nisi ad hoc ipsum à Superiore habeat potestatem; Communis, argum. cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de majoritat. & obedient. & Clement. Ne Romani, de election.

Usualis legis interpretatio fieri potest ab ipso usu communi, & consuetudine legitime introducta; Communis per textum in leg. Si de interpretatione 26. ff. de legibus, ibi: Si de interpretatione legis queratur, in primis inspicendum est, quod jure Civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset; optima enim est legum interpretatio consuetudo; & cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, ibi: Contra consuetudinem approbatam, quæ est optima legum interpretet.

Doctrinalis legis interpretatio fieri potest etiam à privatibus Doctorem, seu Magistris, si observent regulas communiter præscribi solitas. Cum enim lex sæpe sæpius quid obscurum, & ambiguum in sua significatione contineat, necesse erat, ut Doctorem, seu Magistris tribueretur facultas eam interpretandi, & per quid clarior explicandi; Communis per textum in leg. unic. de Professoribus Urbis Constantinop. leg. 12. & in cap. Cum de diversis 2. de privilegiis in 6.

Pro interpretatione doctrinali, seu magistrali observandæ sunt sequentes regulæ. Prima regulæ: Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam; Communis, cum Glossa in cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, verb. Nec juri communis: ubi sic præcise dicit; Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi; sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio, & colligitur ex leg. Licet Imperator ff. de Legatis 1. & leg. Ille, aut illa ff. de Legatis 3.

Secunda regulæ: Verba legis sunt intelligenda secundum propriam significationem, nisi aliud constet sensisse legislatorem; Communis, per textum in cap. Audiendam 12. de Decimis, & in leg. Non aliter ff. de Legatis 3. ibi: Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. Et lege 1. §. Si is, ff. de executione, ibi: In re dubia melius est verbis Edicti servare.

Tertia regulæ: Si de mente legislatoris constet, interpretatio est faciendæ potius secundum ipsam, quam secundum legis verba, quidquid aliud ipsa verba sonare videantur; Communis, per textum in cap. Humanæ aures 11. caus. 22. quest. 5. ibi: Non debet aliquis verba considerare (intellige nudo, & simpliciter) sed voluntatem, intentionem, quia non debet intentio deservire, sed verba intentioni. Hinc leg. Scire 16. ff. de legibus dicitur: Scire leges non est scire verba tenere, sed vim, & potestatem, & cap. Certum est 88. de Regul. Juris in 6. ubi expresse dicitur: Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Mens autem legis, sive Legislatoris desumi debet, tum ex materia legis, tum ex circumstantiis temporum, locorum, & personarum, & præcipue ex ratione in lege posita; cap. Intelligentia 6. de verbor. significat. ibi: Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni rei, sed rei est sermo subjectus.

Quarta regulæ: Lex generaliter, & indistincte est intelligenda; Communis, per textum in cap. Quia circa 22. de privileg. ubi additur hæc ratio: Cum nihil exceperit, & poterat exceptisse. Unde communis Juristarum axioma juxta Summarium in leg. De pretio, ff. de Publiciana in rem actione, sic expresse habet: Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. (Lit. C pag. 31. num. 8.)

Quinta regulæ: Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis; Communis, per textum

tum in leg. Quæsitum §. Denique, ff. Instructor. ibi: "Nam qui hæc exceptit, non potest non videri de ceteris rebus; quæ in ea essent, sensisse, & concordat l. Cum prætor 12. ff. de Judiciis, cap. Qualis hic dist. cap. 25. cap. Dominus 32. q. 7. cap. Nonne, de præsumptione, & cap. 2. de Conjug. Leprosor." cum similibus, & tenet expresse Fagnan. in cap. Illa n. 322. Ne Sede vacante. Barbosa Axiomat. 85. n. 4. & Glossa communiter recepta, l. In iis, quæ ff. de legibus, ubi ait: *Exceptio à regula firmat regulam in aliis.*

31 Sexta regula: *Ubi eadem est ratio, eadem est Juris dispositio, Communis*, per textum in l. Ideo, ff. de legibus, ibi: "Semper quasi hoc legibus inesse crediti oportet, ut eas quoque personas, & ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt. Et l. Non possunt ff. eodem, ibi: Non possunt omnes articuli sigillatim, aut legibus, aut Jurisconsulto comprehendendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifestata est, is qui Jurisdictioni præstet, ad similia procedere, atque ita Jus dicere debet. Et cap. Inter corporalia 2. de transl. Episcop. ibi: Cum de similibus videm iudicium sit habendum." (Cit. A pag. 198. col. 2. in fin. n. 15.)

32 Septima regula: "In omnibus causis potior debet esse ratio æquitatis, quam stricti Juris; Communis, per textum in l. Placuit Cod. de iustitiæ, æquitateque scriptæ, quam stricti Juris rationem & in l. In omnibus, ff. de regul. Juris, ibi: In omnibus quidem, maxime tamen in Jure, æquitas spectanda est." Et l. Quod si Ephesi §. Interdum, ff. de eo quod certo loco, ibi: "In summa æquitate ante oculos habere debet Judex, & cap. ex part. 13. de offic. delegati, ibi: "Ist in causa juxta Juris æquitate procedere." Ubi autem deficit æquitas scripta, & in Jure circa aliquam causam nihil habetur expressum, tunc servanda est æquitas non scripta, & Judex procedere debet prout æquum, & Jussum esse censuerit, cap. Ex parte tua 11. de transactioibus, ibi: "In iis vero super quibus jus non invenitur expressum, procedas (æquitate servata) semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas, & causas, loca, & tempora videris postulare." Æquitas vero est justitia dulcedine misericordie temperata, ut eam definit S. Cyprianus relictus ab Abbate in cit. cap. Ex parte tua 11. de translationibus n. 7. Vel æquitas est quedam factorum convenientia, restitudo iudicii naturalem sequens rationem, ut eam definit Baldus in l. Omnes populi n. 19. ff. de iur. & jur. Barbosa Axiom. 15. n. 5.

35 Octava regula: "Argumentum à sensu contrario est satis validum; Communis, per textum in l. 1. ff. de Officio ejus, cui mandata est Jurisdictione, ibi: Hujus rei fortissimum argumentum est, quod Lege Julia de vi nominatim cavetur, &c. Non aliter igitur mandare poterit; & cap. Qualis hinc dist. 25. ibi: "Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Unde Glossa in cap. Cum apostolica, verb. Datur intelligi, de his quæ fiunt à Prelatis, expresse dicit, quod à contrario sensu datur fortissimum argumentum." Dummodo tamen ex tali argumento à sensu contrario nullum sequatur absurdum, aut inconveniens, seu Jurium correctio; quia argumentum à sensu contrario non valet, quando ei alia Jura resistunt, ut expresse dicit Gloss. communiter recepta, in c. Significasti, verb. Clerici, de foro comper. ibi: "Argumentum à sensu contrario non habet locum, cum alia Jura contradicant."

36 Nonna regula: "Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori; Communis per textum in l. Præcipimus, Cod. de appellat. ibi: "Quidquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis omnes relictum intelligant, & leg. Si vero de viro, ff. soluto matrimonio. ubi Summarium sic habet: Provisio legis contra Jus commune non extenditur ultra illud, quod exprimit, licet eadem sit ratio." Accedit ratio, quia correctio legum, utpote

odiosa, non facile est præsumenda, Jura enim Juribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est inducenda sine necessitate, textu expresso in cap. Cum expediat 29. de election. in 6. ibi: "Cum expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari, & concordat textus in leg. unic. de officio, dicitur, ibi: Leges legibus concordare promptum est, cum similibus." Unde in leg. Non est novum 25. & seq. ff. de legibus, generaliter sancitur ad evitandas legum correctiones, leges priores esse habendas, & explicandas per posteriores; & è contra has per priores, ibi: Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur &c. sed, & posteriores leges ad priores, nisi contrariæ sint.

Decima regula: "Lex penaliter, & omnis alia odiosa in dubio est strictè interpretanda; nec regulariter extendenda ultra casum, & personas expressas; Communis, per textum in leg. 41. ff. de penis, ibi: Interpretatione legum poenæ mollienda sunt potius, quam exasperanda, & cap. Odiâ 15. de Regul. Juris in 6. ubi: Odiâ restringi, & favores convenit ampliari; & cap. In penis 49. eodem in 6. ibi: In penis benignior est interpretatio faciendi;" dicitur autem notanter in dubio; quia si ipsa verba legis penaliter, aut alterius odiosa, ejusque mens adeo clara sit, ut salva ratione recti sermonis, non possint aliam interpretationem habere, non obstante quod lex appareat nimis dura, & odiosa, adhuc erit observanda, leg. Prospexit, ff. Qui, & à quibus manumitti, ibi: Quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est.

Undecima regula: "Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt intelligendæ; seu in materia favorabili verba legis accipi debent secundum amplam suam significationem. Communis per textum in citat. capit. Odiâ 15. de Reg. Juris in 6. ibi: Favores convenit ampliari." Dummodo tamen nihil aliud exprimat, vel appareat ex verbis legis, seu alterius dispositionis, nec exinde illusio legis sequi possit, prout notatur in cap. Si sententia 16. & cap. Si Civitas 17. de sentent. excomm. in 6.

Duodecima regula: "In beneficiis plenissima est interpretatio faciendi; Communis textu expresso in cap. Cum delicti 6. de Donationibus, ibi: In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio faciendi, & cap. Olim 16. de verbor. significat. ibi: Cum beneficia Principum sint interpretanda largissime." Excipienda tamen sunt restricta ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictè interpretationis, textu expresso in cap. Quamvis 4. de Præbendis in 6. ibi: Quamvis plenissima sit aliis in beneficiis interpretatio faciendi; literæ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambiciose, restringi.

Epicheja est benigna legum interpretatio secundum æquum, & bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum. Est in re communis; arg. leg. Placuit; Cod. de Judiciis, ibi: Placuit in omnibus rebus præcipuum esse justitiæ, æquitateque scriptæ, quam stricti Juris rationem & leg. In omnibus, ff. de reg. Juris, ibi: In omnibus quidem, maxime tamen in Jure æquitas spectanda est, cum aliis Juribus adductis supra numer. 32. & 33.

In hoc autem differt Epicheja ab interpretatione legis, quod per interpretationem interpretatur verba legis, quando sunt obscura, & ambiguum census reddunt; Per epichejam vero interpretatur mens legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu; dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem ob certas circumstantias voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis; Unde tunc speciatim verificatur textus cit. cap. Intelligentia 6. de verbor. significat. ubi: "Intelligentia dictionum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, & cap. In his 15. Cod. de verbor. significat. ubi Pontifex factus à se interpretatur

pretationes allegat hanc rationem: Considerantes nihilominus, quod non debet aliquid considerare verba, sed voluntatem, cum non intento verbi, &c. intentioni debeant deservire; interpretatur, &c."

41 Hinc quandoque esse locum epicheje in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes, tenet Communis Doctorum; arg. leg. 4. ff. de legibus, ubi dicitur, quod ex iis, quæ forte uno aliquo casu accedere possunt, Jura non continentur; (Leg. antepenult. titul. 34. part. 7.) Neque sic præjudicium inferitur potestati legislative, cum præsumatur Legislator in simili casu, eadem fuisse dicturus, ut colligitur ex leg. "Nulla Juris ratio, aut æquitas benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriorè interpretatione contra ipsorum commodum producimus ad severitatem."

42 Lex cessare potest per dispensationem factam ab habente legitimam potestatem ipsum concedendi; Communis. Privilegium enim est, quod princeps contra communes regulas Juris, seu contra communes leges cuiquam concedit, seu rescribit, juxta illud Esther 15. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Dicitur enim privilegium, quasi lex privata: nec quæ esset privata, nisi aliquod speciale indulgeret; cap. Privilegia 3. dist. 3. & cap. Abbate 25. de verbor. significat. §. Contra.

43 Quia igitur privilegium est contra Jus commune, & omnis recessus à Jure est odiosus, cap. Is qui 1. de filiis Presbyterorum §. ille vero, in 6. ibi: Quam exorbitantem à Jure oportet veluti odiosam restringi. Hinc privilegium est strictè interpretandum, ac restringendum, dummodo ex hoc non reddatur inutile; Communis, arg. cit. cap. Is qui, & cap. Odiâ 15. de Regulis Juris in 6. ibi: Odiâ restringi, & favores convenit ampliari, cum similibus.

44 Lex cessare potest per consuetudinem contrariam legitime introductam; Communis. Circa autem ea, quæ spectant quoad hoc concernunt consuetudinem. Vid. verb. Consuetudo per tot.

45 Pertinet & ad Jurisconsultos, Judicesque leges interpretari. Tripliciter autem interpretari possint Jurisconsulti, & Judices leges. Primo ad casus similes producendo legis dispositionem, considerata ratione ejus in aliis ad eandem utilitatem tendentibus militante, idque etiam taxativis verbis lex uteretur; quipæ pro quia taxatio tantum ad casus dispares excludendos pertinet, non item ad eos, in quibus militat similis, ut eadem, aut major ratio. Secundum restringendo generaliora legum effata ad casus illos, in quibus solis manifesta, & adæquata ratio legis locum habet. Tertio denique explanando verba legis obscura vel ambigua, & dubium ipsius legis sensum eruendo.

46 Id autem ut rectè fiat, servanda sunt quedam universalis præcepta. In primis, & ante omnia de mente legis non est judicandum, nisi tota lege perspecta, quum ex antecedentibus, & subsequentibus ut plurimum evidens evadat Sententia legis; l. 24. ff. de legibus.

47 Deinde semper adhiberi debet ea interpretatio, quæ caret vitio, & aptior est rei gerendæ, & convenientior menti Legislatoris; leg. 19. eodem tit. leg. 67. & leg. 96. ff. de Regul. Jur. non calumniosa; leg. penult. ff. Ad exhibenda. non talis, quæ circumveniat mentem legis, dum fieret quod lex fieri noluit, fieri tamen expresse non vetuit; leg. 29. & leg. 30. ff. de legibus. & 5. Cod. eod. quæve redderet legem inutilem, nullis accommodatam casibus, & sic omni effectu destitutam, arg. leg. 1. §. ultim. ff. ad municipal. aut quæ in favorem alicujus inventa torqueret severius in ejusdem dispendium, ac læsionem; l. 25. ff. de legibus. & leg. 6. Cod. eodem.

48 Sed nec petenda est interpretatio ex iis, quæ constituta sunt jure singulari, aut necessitate quadam in certis solummodo casibus; leg. 14. ff. de legibus. & leg. 16.

de Regul. Jur. aut errore sunt introducta; leg. 39. ff. ad leg.

Recedendum nec aliter est à propria verborum significatione, quam quum manifestum est id Legislatorem voluisse, arg. leg. 60. ff. de legibus. magisque in dubio verbis edicti servandum ait Ulpianus in leg. 1. §. 20. ff. de executor. action. Recedere autem voluisse Legislatorem à propria significatione verborum, erui valet cum ex antecedentibus, & subsequentibus verbis legis, præfatione, epilogo, & similibus, tum ex ratione legis ipsi legi subjuncta, tum etiam ex eo quod verba in proprio significato accepta, involverent absurditatem, impossibilitatem, vitium, vel significationem non satis aptam rei gerendæ.

Omittendum haud est etiam ex argumentis desumptis à contrario sensu legis sensum erui posse, & interpretationem fieri, ut servarunt ipsi Jurisconsulti in leg. 1. ff. de Officio ejus cui mandata Juris. leg. 18. ff. de Testibus leg. 20. §. 6. ff. qui testam. facere poss. leg. 26. ff. de pact. dotal.

Quod si hæc, similibusque præceptis observatis nec dum manifesta reddi possit legis sententia, aut evitari absurditas, iniquitasque, quam videbatur involvere dispositio legis, haud poterit Judex prætextu æquitate arrogare sibi licentiam spernendæ legis tamquam duræ, & iniquæ, ac judicare contra perspicuam legis decisionem, quam Judicis sit secundum legem, nequaquam vero de legis justitia, vel injustitia judicare, & facti quidem questio, non item juris auctoritas in ejus potestate sit; leg. 1. §. 4. ff. ad Senatusconsulti Turpilian. juncta leg. 12. §. 1. ff. Qui & à quibus liberi non fiant, solumque superest, ut eatur ad Legislatorem; leg. 11. ff. de leg. 2. §. 18. Cod. de vet. Jur. enucleand. leg. 1. leg. 9. leg. penult. & ultim. Cod. de leg. & 3.

Codicibus legum hispaniarum recognitis, & eorum dispositionibus cum Auctoris doctrina comparatis, prospicitur, seu liquebit, magnam consonantiam inter utrumque; verum est, Auctorem egregie suo more hæc explanare materiam, & amplius explicite quam hispanicas decisiones continere: ceterum, cum omnia ab eisdem disposita non facile possint cuilibet loco separatim accommodari, sub unica adnotatione subnectuntur.

Postquam in leg. 1. tit. 1. p. 1. assertur, legem statutum seu ordinationem vocari, causæ easdem condendi recensentur, utpote regula ad rectè vivendum, fidem Domini nostri Jesu Christi servandam, invicemque justitiam inter homines distribuendam consideratur: de iis, quæ ad fidem secundum ecclesie ordinationem pertinent, recognoscatur, ex tit. 3. ad fin. 24. p. 1. tit. 5. lib. 1. For. Reg. tit. 1. 2. & 3. lib. 1. Ord. Reg. tit. 1. usque ad 7. lib. 1. Rec. Cast. ac tit. 1. ad 20. lib. 1. Recop. Indic. De eis, quæ in justitiæ distributione consistunt, ex eisdem legislativis corporibus ceteri tituli loquuntur (leg. 7. tit. 1. pag. 1.) In secunda, quid sit jus naturale, & gentium, designatur, utriusque exempla pertingunt, & quale cum brutis communi. In tertia quoad rationem dupliciter leges considerantur: quæ animarum saluti prospiciunt, una, altera vero corporum: illa in fide, in hujus seculi recta directione, tranquillaque vita ista consistit: altera Universos moderatur, & regitur, juxta cujusque meritum, & demeritum, præmia, & supplicia distribuendo, tutos reddit optimos, pessimosque coerct: faciendum quod bonum est, & abstinendum à malo præfinit. Per leg. 4. deciditur, legem idem esse ac lecturam, in qua reperitur doctrina, vindicta, atque scriptura, (à legendo dicitur) jubens quæ honesta sunt, prohibensque contraria: docet quæ fieri debent, & hominis vitam, ne male operetur, continet, atque revocat: secundum Deum, & justitiam præcepta ejus justa, optima, & fida esse debent. Ad idem leg. 1. & 3. tit. 6. lib. 1. For. Reg. 1. & 3. tit. 4. lib. 1. Ord. Reg. ac 1. tit. 2. lib. 2. Recop. Cast. Per quintam legis virtutes demonstrantur: septem numerantur, quamvis per leg. 1. tit. 4. lib. 1. Ord. Reg. & 1. tit. 2. lib. 2. Recop. Cast. (Vid. istam verb. Forum, vers. In memoriam... in add. hisp.) ad

